

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **De Prima Expeditione Attilae Regis Hvnnorvm In Gallias Ac De Rebus Gestis Waltharii Aquitanorvm Principis Carmen Epicvm Saecvli VI. - Cod. Karlsruhe 647 und Cod. Karlsruhe 648**

ex codice manuscripto ...

Cod. Karlsruhe 647

**Eccardus <I., Sangallensis>**

**Lipsiae, 1780**

Praefatio

[urn:nbn:de:bsz:31-230153](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-230153)

## PRAEFATIO.

**I**n vniuersa recentiorē historia, illud tempus, rerum gestarum grauitate, praecaeteris eminere mihi videtur, quo primum a barbaris gentibus in imperium Romanum facta est irruptio. Maxime vero me mouet Attilae et prudentia et virtus. Nam cum ante eum Barbari, Romanis finitimi, (vno Alarico excepto, cuius tamen bella temerarii potius conflictus quam bella fuerunt;) in extremis potentissimi huius Imperii finibus veluti haesissent; ille, bene intelligens, Romanorum mores esse valde corruptos, disciplinam eorum militarem iacere, denique totum reipublicae statum esse summe deprauatum, interiores huius imperii regiones hostibus iam patere, existimauit. Quam ob rem victorias suas vsque ad urbem, quae fuit caput imperii, persequutus; exemplo docuit, ad vastum istud regnum delendum hucusque nil, nisi consilium defuisse atque audaciam. Athaulfus, Alboinus, Theudericus Ostrogothus, cum Theudeberto Austrasiensi hanc viam ipsis monstratam diligenter secuti sunt. Atque etiam Carolus Magnus expeditionibus suis fines ponendos non censuit, vsque dum imperii Romani dignitatem ad Germanicas, quibus ipse imperabat, ciuitates transtulisset. Sed, quamquam maxima suo tempore floruit gloria iste Hunnorum Attilas, singula tamen, quae pertinent ad eius victorias et varias rerum ab eo gestarum causas, nunc quidem omnino nescimus. Enimvero non minus, quam alii, qui primo loco haberi merentur heroes, in eo summo studio erat occupatus, vt ne superstitionem finem et modum transire pateretur; immo vero etiam a sacerdotibus opes, plebi ereptas, extorqueret. Quo quidem et factum est, vt tristissimam illam sortem experiretur, cuius, quaecumque illorum hominum persecutio, fons est. Infimae enim conditionis monachi, turpiter ei obtrectantes, memoriam eius variis modis apud plebem inquinabant. Nec eo sibi fatiscerant, nomini eius infamiam inuisse, quod ipsum humani generis flagellum dicerent, sed et omnia ea maligne delerunt, quae animi liberalitatis et ingenuitatis monumenta exstare resque ab eo gestas contra quascumque calumnias defendere potuissent. Hinc illius temporis, quod tanti momenti est ad aetatis nostrae culturam rerumque publicarum notitiam, praeter paucissima fragmenta historica eaque maxime imperfecta, ad nos quidem nihil peruenit. Adiunguntur iis praeterea perabsurdae miraculorum fabulae, quibus quidam sancti, (vt appellare solent,) eius expugnationes inhibuisse feruntur. Accedunt denique infensae atque inimicae immanitatis narrationes, quam, etiamsi adhibita esset, in tanta militum, natura ferocium, multitudine, impedire non potuit. Quod vero ad ipsas res attinet, quae acciderunt, quoque modo cum finitimorum populorum historia coniuncta fuerint, nusquam accurate et copiose narratur: nec vllibi datur descriptio, quae doceret, quomodo Europae reipublicae hoc tempore fuerint constitutae, quosue et quales in humanitatis cultu progressus fecerint. Omnino, communes tantum regni commutationes, tam breuiter, quam obscure

narratae et ab vna modo parte consideratae, neglectis plerumque fontibus earum, mirabilium sane, nobis relictæ sunt. Qua de re, quid est, quod tanti aestimari mereatur, quanti quoduis monumentum, quod, quæ ad eiusmodi ætatem, caligine et tenebris quasi inuolutam pertinere videantur, ea nos accurate docet; quodque monstrat, quæ sit prima morum nostrorum conditionis origo; quo innotescunt instituta et consuetudines, quæ, quamquam nunc quidem peregrinae sunt et a nobis alienae, sua tamen præstantia et integritate nos mouent et delectant, quin immo, primam humani generis conditionem et statum notum nobis reddunt atque familiarem? — et, quod summum est, quo priuatus haud inferior iis excellentibus viris, qui populos in suam potestatem redegerunt, apparet, ita, vt eius familiae arcana videre atque prima virtutis exempla intueri possimus.

Iam vero eiusmodi monumentum, repertum est eo tempore, cum de Bauarica successione hæreditaria orta esset controuersia, cuius dirimendæ causa tot archiuis perlustratis, tot monumentis examinatis atque consultis, (quid mirum?) permulta, eaque grauissima in lucem prodierunt documenta. Codex nimirum Seculi XIII. isque membranaceus mittebatur, ex quodam coenobio, in Bauaria sito, ad regium Britannicarum legationum consiliarium Dominum de Mosheim, illius cancellarii, qui Gottingæ quondam vixit atque æternam de historia ecclesiastica gloriam consecutus est, filium, iam Stutgardia florentem. Quem cum ad me permisisset, mihi perlustranti, præter varia diuersæ ætatis collecta, partim scripta auctorum classicorum, partim primorum, patrum ecclesiæ, acta, et cancellariæ pontificalis formulas, epos se offerebat, latino sermone compositum. Id autem, cum offenderem inter Ciceronis fragmenta et Boethii consolationes philosophicas, omnem animaduersionem meam excitasse, non est, quin profitear. Equidem, simulac id exscriperam, illa, quæ ad res eius generis requiritur, cura et diligentia adhibita, thesaurum litterarium, ita præstantem sub manibus meis accumulatum; historiam totius Europæ ita auctam mirabilemque ad reliquos auctores classicos vtilitatem inde profectam esse, valde admirabar. Caeterum, vt de materia, quæ tractatur, pauca dicamus: prima Attilæ bella, quæ contra Gallicas, et reliquas finitimas ciuitates gessit, depinguntur, narraturque eorum historia, cuius quidem in monumentis historicis, aut nulla plane facta est mentio, aut ita, vt falsa sit chronologia. Ad vltimum vero fit narratio rerum a Vualthario, Aquitaniæ principe, regio sanguine nato, gestarum. Ipsum auctoris nomen nusquam laudatur, ac, vel Polycarpo Leysero a) fuit ignotum. Fuit autem, quod constat, monachus, ab origine stirpis Celticae generatus, Venantii Fortunati et Corippi Africani æqualis, et, vt verisimile est, ad finem Seculi VI. vixit et scripsit. Quæ autem tradidit, ita sunt constituta, vt fundum priscaæ alicuius traditionis et a maioribus acceptæ narrationis prodere videantur. Atque ea quidem, cum ex ipso carmine colligantur, in commentario, quem de eo conscripsi, inquirere et exponere studui.

De solertia autem poetæ et ingenii acumine deque rerum exponendarum ornandarumque ratione, sic, quantum video, iudicandum est. Poeta, etsi nullo plane deorum interuentu adhibito, nullis consiliis aut machinationibus alicuius dei vsus, genuinam nobis ad modum Lucani dederit rerum gestarum narrationem; orationis tamen dignitatem sententiarumque pondus et ipsam Virgilio versificationem imitatus est; quin immo, interdum vel integros Virgilianos versus intexuit suis. Et, quamquam aegre potest negari, iis in locis, vbi verbis, origine sua, Celticis, vsus est, et vocabula sententiasque apud veteres Germanos vsitatas adhibuit, stylum eius

a) Historia poetarum et poematum mediæ æu. Halæ 1727.

mirabilium  
ei quodam  
perimere  
colorem  
quidem  
lectant,  
ut atque  
us vici,  
ere atque

cellione  
tis, ut  
a lucem  
ur, et  
liarium  
nam de  
n cum  
scripta  
ficialis  
a inter  
meam  
es eius  
m sub  
quos  
stera,  
utimas  
torica,  
arratio  
uctus  
quod  
fricui  
lit, a  
rationi  
ntato,

umpe  
runt  
Lacui  
lis et  
vulu  
tu,  
era

[Faint, illegible text on a blank page]

barb  
te  
qui  
ferr  
Cus  
cert  
apo  
que  
  
im  
et a  
vt m  
om  
Agn  
pres  
atu  
Dm  
et, r  
del  
  
S  
f  
me  
m  
del  
  
l  
(Ge  
vel  
prin  
indol  
  
I  
ing  
Nor  
Gram  
  
h) In  
spec  
cont  
te non  
dis  
m  
ca

barbarum inueniri: ea tamen aetatis suae vitia similitudinibus exquisitis et aptis vique declamatoria temperauit et emendauit. Id quod probatur magnanimi Francorum Haganonis exemplo, qui, cum videret Patauridum, nepotem, imberbem adhuc iuuenem, cum heroe Aquitanico, ferro depugnare velle, v. 854. multum ea de re conquestus est. Aquitaniae princeps Vualtharius, Cuntharii, Francorum Ripuarianorum regis filius, octo iam ex iis, qui eum comitabantur, milites in certaminibus singularibus interfecerat. Qua de re initum est consilium, vt telo quodam, apud Francos vsitato, quod Ango appellare solebant, eum adorirentur; si forsan de opportuno loco, quem in ore speluncae cuiusdam, montis Vosagi, occupauerat, deiici posset.

Erat autem hoc telum, quod Suidas, Eustathius et Agathias descripserunt, tridens, hamis instructus, qui emittebatur in hostem et vel in corpore haerebat, quo quidem non, nisi repentina et acerbissima morte insequente, poterat expediri: vel tantum in scuto defigebatur, ita tamen, vt nullo modo posset auelli. Cum vero illius pondere scutum inflecteretur, fiebat, vt corpus omnibus modis vulnerari posset. Atque haec quidem est eius teli descriptio, quam habet Agathias Scholasticus. Ex hoc autem nostri poetae carmine patet, eiusmodi tridentes instructos praeterea fuisse funibus, quos ii, qui circumstetissent, tenuerint, hostemque, cuius armis affixi iam fuissent, coniunctis viribus ad terram attraxerint. Ex quo quidem emergit, Iesuitam Danielelem, qui in Historia rei militaris Francigenarum solam Agathiae descriptionem sequutus est, rei plane non satisfecisse, nunc autem temporis et meliorem et rectiorem posse dari delineationem.

Sed id, cum huc non pertinere videatur, admiremur potius quandam poetae nostri similitudinem. Vualtharium scilicet illo telo reuera hostes aggrediuntur, iisque contingit, vt medius scutus diffindatur tridensque in eo defigatur. Iam vero summa virium contentione, nisi in terram eum praecipitare, arma saltem ab eo abripere, ipsumque, quo se defendat, destituere conantur. Sed, frustra nituntur; immotus enim adflat, vt poeta recte cecinerit:

„Sed tamen hic intra velut escilus adfluit heros,  
 „Qui non plus petitastra comis, quam tartara fibris,  
 „Contemneas omnes ventorum immota fragores.“

Ac quidem in hac Homeri (Iliad. M. 131.) imitatione, nonne felicior fuit, quam Virgilius (Georg. L. II. v. 290.) et Silius Italicus? (Punic. L. V. v. 480.) Testor omnes, qui iudicare velint. Deinde autem ex v. 384 et 385. vbi doloris iraeque, qua de Vualtharii Aquitaniae principis iactura affectus erat Attila, imaginem oculis animisque subiicit, artem pernoscendi indolem hominis ex facie, saltem ex parte perceptam habuisse, apparet.

In commentario meo p. 30. locum verbis Scipionis Claramontis, qui ex Lauateri iudicio, ingenii sagacitate multos antecellit, explicauit, vti et alium quendam ex Thorm. Torfaei Historia Noruagica laudauit, quo mirandum eius artis continetur exemplum. Plura exstant apud Saxonem Grammaticum. b) Eiusmodi narrationes septentrionalium populorum vulgo Sagae dictae,

b) In *Historia Daniae* L. II. p. 23. Tunc Suanhuita speciosissimum lineamentorum eius habitum curiosiori contemplatione lustratum impensius admirata, Regibus te non seruis editum praeradians luminum vibratus eloquitur. Forma profapiam pandit, et in oculorum micaru naturae venustas elucet. Acritas visus ortus excellentiam praefert. Nec humili loco natum liquet,

quem certissima nobilitatis index pulcritudo commendat. Exterior pupillarum alacritas interni fulgoris genium confitetur. Facies fidem generi facit, et in luculentia vultus maiorum claritudo respicitur. Neque enim tam comis tamque ingenua species ab ignobili potuit auctore profundi. Sanguinis decus cognato frontem decore perfundit et in oris speculo conditio

cum leget Lauaterus, mirabitur, eam, de qua vel hodie dubitamus, scientiam, ad tantam peruenisse maturitatem apud eos, qui primi nationis nostrae exposuerunt res gestas. Quid autem utilius, quid acceptius nobis accidere potest, quam naturalis maiorum nostrorum simplicitatis vestigia videre, eorumque morum integritatis exempla legere, qui, (quidni profiteamur?) asperi nonnunquam videntur?

Vualtharii fidem, cui principem personam poeta imposuit, firmam et constantem ut reddat, operam dat Attila. Ad eum autem finem consequendum, ingentia Vualthario facit promissa et studet ei Hunnicam virginem in matrimonium dare, quo teneatur. Ille autem, qui iam pridem de sua fuga cogitabat, ea re prudenter se effudit, Attilaeque se excusat, dicens: in tali viuendi rationis mutatione et ruris et rei familiaris cura se impeditum iri, quominus satisfacere possit officio sibi mandato. v. 152.

Aedificare domos cultumque intendere ruris  
Cogor. —

O amabiles et antiquos eius populi mores! ubi solii haeres non minus, quam rusticus homo in agris colendis occupatus est. Inprimis autem istud Hunnorum conuiuium v. 287. est insigne, propterea, quod ei, cui interfuit *Priscus*, iste Byzantinus orator, cuiusque descriptionem nobis reliquit, magna lux affertur.

Nec minus locum v. 169. animaduersione dignum puto, qui quoddam Hunnorum proelium repraesentat.

Cum populus aliquis aut pacem peteret, aut victus esset, legatis non, nisi armis positis, ad victorem accedere licuit.

64. Ibant legati *totis gladiis spoliati*  
Hostibus insinuant, quod regis iussio mandat.

Id pompae genus, c) quod nullus adhuc scriptor huius aevi animaduertit, depictum inuenitur in antiquissimis parietinis apud Montefalconium et Lancelotum.

Eius autem populi, qui censum promissum subire negabat, obsidibus, aeterna seruitudo imponebatur. v. 115.

Apparet iam torneamentorum imago, et verus quem propositum sibi habebant, finis

natiua resultat. Minime ergo tam spectati caelaminis simulacrum obscurus opifex absoluit.

*Id. L. VII. pag. 141.* Conueuerat virgo hospitem vultus propius accedendo quam curiosissimo praelato lumine contemplari, quo certius susceptorum mores cultumque perspiceret. Eandem quoque creditum ex notis atque lineamentis oris inspectorem perpendisse profapiam solaque visus sagacitate cuiuslibet sanguinis habitum discreuisse. Quae cum Olonem scrutabundis adgressa luminibus constitisset, inusitato oculorum eius horrore perfricta paene exanimis concidit. Ac ubi sensim redditus vigor, spiritusque liberius meare coeperat, rursus iuuenem conspicari conata lapsa repente corpore ceu mente castra procubuit. Tertio quoque

dum clausam deiectamque aciem attollere nititur, non modo oculorum motu certe etiam pedum regimine defecta subito lapsu cecidit. Adeo vigorem stupor hebetat? Conf. *Thom. Bartholin. Ant. Dan. L. III. cap. 3. pag. 683.*

c) *Tanemar. in Vita S. Berwardi cap. 23. ap. Leibn. script. rer. Brunswic. p. 452.* Cuncti primarii ciues — adiunt nudi, femoralibus tantum texti, dextra gladios laeva scopas ad palatium praetendentes, Imperiali iure se subactos nil pacisci, nec ipsam quidem vitam, quos dignos iudicauerit, ense feriat, vel pro misericordia ad palum scopis examinari faciat, plura loca ex scriptor. omnibus aevi vid. in *commentario. p. 8.*

ad unum  
quid unum  
impliconit  
ar) aspen

anem vt  
ario facit  
e autem,  
ccens: in  
atisfacer

rufficus  
: 7. eli  
tionem

nocum

politis,

picum


ruitude

t, fine

eray, non  
amant de-  
per holo-  
ll. cap. 3.

ap. Lib.  
u ceter  
tra plaris  
entis ire  
tam, quod  
menda ad  
a luppae





comprobatur, ut scilicet ii, qui belli a natura haberent adiumenta, ab ineunte adolescentia consuetudinem et exercitationem caperent.

v. 100. — Sed et artibus imbuit illos,  
Praefertimque iocis, belli sub tempore, habendis.

Atque etiam prima insignium gentilitiorum initia hic iam inveniuntur, quae arbitraria signa in scutis picta, quibus eminus distinguerentur et agnoscerentur, fuisse, satis apparet.

v. 1269. Cuius si facies latuit, tamen arma videbas  
Nota satis, habituque virum rescire valeres.

Patet ex v. 916.

— — Ancipitem vibrauit in ora bipennem,  
Istiusque modi Francis tunc arma fuere.

Francos ad finem seculi vi. bipenne uti desuisse. Occurrit

v. 1014. In framea tunicaque simul confusus aena;

vetusta illa framea, cuius, praeter Tacitum, nullus antiquiorum scriptorum fecit mentionem.

Armatura Vualtharii fugientis haec est:

v. 330. Ipseque lorica vestitus, more gigantis,  
Imposuit capiti rubras cum callide cristas,  
Ingentesque ocreis suras complectitur aureis,  
Et laeuum femur ancipiti praecinxerat ense  
Atque alio dextrum, pro ritu Pannoniarum;  
Is tamen ex vna dat tantum vulnera parte.  
Tunc hastam dextra rapiens, clipeumque sinistra,  
Ceperat inuisa trepidus decedere terra.

Iam hic P. Danielis errorem, qui in rei militaris Gallicae historiam irrepsit, praetermittere non possum. Ille enim persuasum sibi habuit, gladios Germanorum vetustissimos, ancipites nequaquam fuisse. Incurrit in hunc errorem adductus illo Rigordi loco: „habebant cultellos „longos, graciles, triacutos, quolibet acumine indifferenter secantes, a cuspide ad manubrium, „quibus utebantur pro gladiis.“ Hic vero auctor *triacutos* tantum cultellos, quibus in praelio apud Bouiniacum pro gladiis utebantur Germani, admiratus est: vetusti tamen gladii ancipite acumine instructi, ipsi non minus noti fuere. Ac veluti Romanorum milites, alterum latus ense, alterum sica solebant accingere, sic et Germani, qui artem bellandi a Romanis didicerant eorumque armatura utebantur, dextrum latus gladio, sinistrum cultro armare soliti fuerunt. Id quod, cunctis antiquitatis monumentis variisque auctoribus comprobari potest. Cultelli proprio nomine *Sals* appellati sunt. Omnes autem gladii plerumque ancipites fuerunt, vt

\* \*

claris verbis Suidas docet. Inde et Matthaëus Paris. gladium, vno tantum acumine instructum, comparat cum pugione aut potius cum cultro. Longi autem verones, quos nunc nouimus, primum in proelio apud Bouiniacum in consuetudinem venerunt. Quod quidem gladiatorum genus Rigordi admirationem necessario excitauit, quippe cum antea breuiores cultri in vfu erant, quibus hostis cominus, non eminus poterat transfigi.

436. Regalique Coco reliquorum quippe magistro  
Detulerat —

Hic, vt arbitror, primum Archidapiferi Francorum facta est mentio.

Haec aetas ita adhuc bello assueta erat, vt Franci Rhenani nebulones dicerentur propterea, quod colerent agros.

553. Non assunt Auares hic, sed Franci nebulones,  
Cultores regionis.

Barbari maiores nostri familiarum foederibus ita arcte coniuncti inter se erant, vt cuncti cuiuscunque domus vnius, vnus cunctorum saluti prospicere deberet. Quodsi vni facta esset iniuria, tota gens offensam se esse putabat, et illius vlciscendae studium erat commune.

Neque tamen omnes simul hostem persequebantur, sed ex ordine proximus quisque cognatus, vsque dum aut vltia, aut placata esset iniuria. Inde et Scaramundus auunculum Kamelonem Francorum praefectum vrbs Metensis in certamine singulari interfectum videns, dicit:

v. 684. Hic me prae cunctis heu respicit actio rerum;  
Nunc aut commoriar vel carum vlciscar amicum.

Antiquissimis temporibus, quamuis quaecunque crimina placabantur pecuniis, homicidium tamen expiari nequiuit, sed sanguinis vltio necessaria fuit. Vir Doctus Dominus Mayerus, Iurium Professor in Vniuersitate Tubingensi, in hunc barbarorum maiorum nostrorum morem diligenter et acute inquisiuit, cuius confectionaria nostro poeta cumulate comprobantur. Scaramundus ille ad certamen prouocans haec dicit:

696. Non ego iam gazam vel rerum quidque tuarum  
Appeto, sed vitam cognati quaero peremti.

Cuntharius enim rex Francorum Ripuariorum, Vualtharium, Aquitaniae principem, hanc ob rem hostiliter persecutus erat, quod non modo thesaurorum Attilae extortorum, verum etiam Hildegundis foeminae, principis Burgundiae, quae eum comitabatur, vi potiri voluerat. Sed, cum in certamine quatuor iam suorum militum interfectos videret, his verbis reliquos adhortatur:

pro  
in via

terea

ne  
flet

que  
um  
icit

dium  
erus  
rem  
antur

hac  
verum  
obest  
cipue



v. 710. Aggrediamur eum, nec respirare sinamus,  
 Donec deficiens laceffat et inde reuinctus  
 Thefauros reddet, luet et pro fanguine poenas.

Sed, cum et his eadem fors parta esset, Cuntharius vehementer irascitur, ita, vt omnia, quae aliquam vim persuadendi habere videantur, corripiat et proferat, ad reliquos ad pugnandum excitandos.

945. — — — En ego partus  
 Ante mori sum, Vuormaciam, quam talibus actis  
 Ingrediar. Petat hic patriam sine fanguine victor?  
 Haecenus arlistis hominem spoliare metallis;  
 Nunc ardete, viri fufum mundare cruorem,  
 Vt mors abstergat mortem, fanguis quoque fanguem.  
 Soleturque necem sociorum plaga necantis.

Atque etiam Vualtharius hanc fanguinis vltionem necessariam euitare cupit; Patauridum, immatura adhuc aetate iuuenem, vt a duello abfistat, hortatur.

v. 879. — — Cede duello  
 Ne, fuprema videns, hostes facias mihi plures.

Et Scaramundo persuadere studet, se fanguinis vindicta obnoxium non esse, quippe cum ipse hostes nunquam aggressus, vitam tantum suam ab iis defendiffet.

v. 699. — — Si conuincar, quod praelia primus  
 Temptarim,  
 — — Absque mora tua me transuerberet hasta.

Sed nimis longus essem, cum, quae illius aetatis mores nos doceant, ea omnia colligerem. Pauca potius de historica et geographica, quae ex hoc epico carmine proficiscitur, vtilitate, dicenda mihi fupersunt.

Doctiffimum Deguignes, cum ex *Sinenfibus* et *Arabicis* Manuscriptis quae in regia bibliotheca Parisiensi adferuantur, antiquitatem regni Hunorum demonstraret, litterarum periti valde admirabantur, propterea, quod rem incredibilem putaffent, cui iam fidem denegare nequirent.

Rationes autem expeditas esse, docet poeta:

— — Gens Pannoniae  
 — — — — —  
 Ultra millenos fertur dominarier annos.

De Attilae ingenio et animi dotibus, auctor modo laudatus, haec nobis tradidit. „Attila coluit virtutem quam maxime, in hostes autem inhumanus fuit et immanis. Quoties itaque cum illis res ei fuit, superbum et arrogantem se praebuit, erga subditos autem humanitatem et clementiam exercuit. Pretiosis rebus et magnificentiae inimicus, eandem vxoribus et amicis suis concessit. Qui ipsius potestati erant subiecti, eos complexus est amore tenerrimo; audiuit eos, quum quererentur iisque satisfecit, nec quemquam in possessionibus suis perturbari, nec pauperes suppressi passus est. Ad condonandum fuit paratissimus, nec ciuitatibus suis intolerabile tributum imperauit; alienis autem metum et horrorem iniiciendi summa flagrauit cupiditate: quod et cessit ex votis. In bello, quo ita delectatus est, vt nihil supra, fortitudine omnes antecessit sine vlla temeritate. Summa cepit consilia eademque perfecit. Hostibus suis monstruosus et prodigiosus visus est, qui quidem magnopere sibi ab eo metuerunt, minus tamen aequi eius iudices fuisse videntur. Romae aut Byzantii heros et iudicatus et cultus est; in expeditionibus, cum occupatus fuit, immitem et crudelem eum hostes dixerunt.“

In quo quidem et omnia ea consentiunt, quae ex Prisco et Iornande huc pertinent. Poeta autem noster in eiusmodi frigidis descriptionibus non moratur, sed potius heroi suo dicentis et agentis personam imponit. Conf. v. 66. seq. et v. 99. seqq.

Dom. Kremerus, de historia bene meritus, omnia ea collegit, quae vniquam de veteris Franciae Rhenanae rebus poterant inuestigari. Nihil profecto iucundius ipsi contingere potuisset, quam, si haec poetae nostri carmina videre potuisset. Ex iis enim perspexisset fines huius imperii prima seculi V. parte vsque ad Metem dilatatos esse, et ab hac quidem parte Spiram, Metem, Argentinam et montem Vofagum comprehendisse. Vuormatia erat caput imperii: poeta enim dixit:

— Vuormociam Regali fede nitentem.

Quam quidem ob rem Dom. Morizio in hoc concedendum puto, quod hanc ciuitatem Comitum alicuius aut episcopi potestati nunquam subiectam, sed potius regalem ciuitatem semper mansisse contenderet. Exstitit quidem Comes Wormatiensis, sed eius dioecesis finitima tantum comprehendit.


v. 938. Hic in Wormatiae campis Comes extitit ante.

Mons Vofagus antiquitatibus et reliquis rebus cognitione dignis semper abundauit, vt summus Mabillonius operae pretium censuerit, eo proficisci et omnia omni diligentia inquirere et consignare. Animaduersiones eius inueniuntur in Memoriis litterariis Parisiensibus, sed hunc terrae angulum parum nouisse videtur, quem v. 488. seqq. poeta noster descripsit.

Caeteroquin nihil attinet disceptare, quam Rheni partem transferit Attila, cum altera vice in Galliam irumperet; certi enim quidquam hac de re afferre non possumus. Sed forsitan res plana efficitur ex iis, quae de primo eius transitu memorata habemus. Auctor enim noster ea diligenter tradidit. Sententia vero qua ad Germanorum fines transiisse putatur, debet







reper  
peru  
trans

Capit  
cum  
ad  
part  
polic  
Quo  
et  
Videtur

In  
Gode  
per  
in

in  
sicut  
non  
tam  
et

regi  
bram  
iam  
Island  
Thun

In quo q

repudiari. Namque etsi primo petiit WORMATIAM, tamen inde statim reuersus, Heluetiam percurrit flumenque ARARIM Rhodanumque traiecit et recta via in CABILLONUM irruit. Hinc transuersa recedens, Aquitaniam perripit Galliamque petiit.

Cabillonum sedes erat imperii Burgundici, quod illo tempore sub HERRICO rege florebat. Plaga illa, quae 436. Burgundis illata est, quaque totum fere populum deletum esse, recentiores scriptores sibi persuadent, ad istos modo pertinuit, quorum sedes, tum erat hodiernus comitatus Burgundiae et pars Alsatiae; totum autem regnum eo tempore labefactatum aut perturbatum plane non est. Nec audiendus abbas DUBOSIUS qui arbitratur, Aquitaniam, posteaquam Seculo IV. ab imperio Romano defecerat, liberam constituissē reipublicam. Quantum ex hoc nostro auctore perspicitur, quidam monarcha, nomine ALPHENIS ei imperavit. Celtica lingua in ea adhuc floruit, quod quidem eo euincitur, quod Saxonum EKEURID VALTHARIUM Aquitanicum reprehenderet his verbis:

763. Celtica lingua probat, te ex illa gente creatum  
Cui natura dedit reliquos ludendo praecire.

In poemate haec Celtica verba occurrunt. SERGIA, officium. MIGMA, obsonium. TYRANNUS, Rex. GAUSAPE, mantile. NAPPA, poculum. TALLUS, patera. EDES, vagina. FRAMEA, Lancea. GEMINA, peristromata. VASSUS, feruus, et haec tria: VUELANDIA, VIUO, NATORE, quae, quid sibi velint, non video.

Plurimis antiquiorum historicorum Franci a Troianis originem traxisse videntur; nec aliter se res habet in vetustis SAGIS septentrionalium. Vbiq̄ue VIRGILIUS citatur, tanquam primus rerum Francicarum Scriptor. Anonymus vero meus rem expeditiorem fecit innuens, vnam tantum Francorum stirpem fuisse, quae de Troiana origine gloriata fuerit, eandemque hac de re nobiliorem habitam.

26. Nobilis hoc HAGANO fuerat, sub tempore tyro  
Indolis egregiae, veniens de germine Troiae.

Praeclari fratres BENEDICTINI ex Congregatione S. MAURI ex quodam fragmento Runico, regis HIALMARIS historiam continente, iudicari posse putabant, Thulen illam, veteribus celebratam, Thulemarkiam Noruegiae esse. Ii autem THORMODUM TORFAEUM non audiunt, qui iam principio seculi modo currentis huic sententiae occurrit. Ipsi et omnibus recentioribus Islandia propria eius insulae sedes esse videtur. Sed hanc opinionem auctor noster refellit, Thulen ex instituto ultra Scotiam et Hiberniam ponens.

v. 1129. Interea occiduas vergebat Phoebus in oras  
Ultima per notam signans vestigia Thilen,  
Quae cum Scotigenis post terga reliquit Hiberos.

In quo quidem praeter Claudianum,

---

 Incaluit Pictorum sanguine Thule.

Seruius Honoratus Maurus et Iulius Pomponius Sabinus, scriptores parum nouiores, eum sequuti sunt; quorum hic simul docet ubi primum habitarint Hungari, et, quod iis cum Finnis et Lapponibus intercesserit cognatio. Sed, ne fatietas lectorem capiat, de argumento, et eo, quod mihi propositum habeo in commentariis meis, ubi coaeuis monumentis consultis, non modo historiam emendauit, sed etiam probationes attuli diplomaticas, et philologico-criticas, quibus carmini concilietur auctoritas, ipsumque in ambiguis, locis parallelis et illustrari et confirmari, plura iam addere nolo.

---

Erant haec omnia formis iam descripta, cum nuper intelligebam, Ioanni Auentino carmen nostrum non prorsus ignotum fuisse; immo, doctum hunc virum, duo priores eiusdem verius secunda Parte *Annalium* ipsius *Boicorum* pag. 1.120. laudasse. Haec ad finem proemii nostri obseruare satius existimauimus, quam omnino rem silentio praeterire,

et, cum  
cum Fi-  
ento, e  
a, non  
criticus,  
et con-

o car-  
cus-  
finem

Nota. Die mit rother Tinte geschrieben oder unterschriebenen Notizen sind die  
Lecturen des Herrn Prof. Ludwig, welche der Herr Gau. Land. Professor Dr. Dünge beige  
die Güte fath.

3 — cultu. tum —